

pothecas expressas: ergo similiter in nostro casu, quando dos consilii in pecunia vel quantitate, debet præferri omnibus creditoribus habentibus hypothecas expressas anteriores. Quartò facit: quia credens vel mutans in refectionem domus vel alterius rei, habet tacitam hypothecam, & præferatur creditoribus anterioribus etiam habentibus expressam, ut in leg. *Interdum. ff. Qui potior. in pign.* sed mulier pro dote sua præferatur credenti vel mutuanti in refectionem, ut in *Authent. de equalit. dot. §. His consequens est collat. 7.* Ergo, &c. Quintò facit optima ratio: quia dos est privilegiata principaliter favore mulieris, & secundario ratione publicæ utilitatis, ut in leg. *1. cum similib. ff. Solutio matrimon. & utilitas publica semper præferatur utilitati privatae, ut in leg. unic. §. fin. Cod. de Caduc. tollen. Præterea, Rex vel Princeps, condendo legem communem, potest tollere jus quæsitum alicui subdito, & alteri applicare ex justa causa, ut in leg. *Item si verberatum, §. 1. ff. de Rei vindic. & in leg. Lucius. ff. de Eviction. & in leg. Venditor. §. Si constat. ff. Commun. prædior. & in leg. Si privatus. ff. Qui & à quibus, & notat Bart. in *Proem. ff. Veter. §. Omnem, 3. column. Paul. & Scribentes in leg. fin. Cod. Si contra jus vel util. public. ergo in nostro casu, licet ex hypotheca expressa anteriori videatur jus quæsitum anterioribus, tamen ex prædicta justa causa favore dotis & publicæ utilitatis lex communis disposuit & potuit disponere quòd mulier virtute tacitæ hypothecæ præferatur omnibus anterioribus creditoribus etiam habentibus hypothecas expressas, & in expressò, licet non ita bene fundent istam sententiam & conclusionem tenet Martinus Glos. antiquus quem refert Glos. ordinaria magna in *dict. leg. Assiduis, Cod. Qui potior. in pign. hab. & ibi Petr. de Bellaper. 2. col. Jacob. de Aretin. in fin. Cin. 3. column. Faber. in §. Fuerat, Inst. de act. 2. colum. in med. Abb. in cap. Ex litteris, extrà de pign. 2. colum. n. 8. & ibi Card. 2. column.****

Sed, his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quòd non præferatur mulier aliis creditoribus anterioribus habentibus hypothecam expressam: Primò quia mulier & fiscus pari passu ambulant, ut in leg. *2. Codic. de Privileg. fisci* sed fiscus, qui habet bona debitoris tacite obligata, ut in leg. *2. Cod. in quibus causis pign. vel hypoth. tacite contra. cum similib.* non præferatur creditoribus anterioribus habentibus hypothecam expressam, ut in leg. *Si pign. ff. Qui potior. in pign. hab. & in leg. Si fundum eodem titul. ergo similiter in nostro casu, mulier non præferatur in recuperanda dote. Secundò facit text. in leg. *Ubi adhuc. in medio. vers. Vel à creditoribus**

*bus posterioribus, &c. ubi habetur, quòd mulier in dote exigenda præferatur creditoribus posterioribus, non verò his qui habent potiora jura: Sed anteriores creditores habent potius jus ratione temporis: ergo præferantur. Tertio facit concludens ratio: quia in dubio lex non intelligitur tollere jus semel quæsitum parti ex suo contractu, argumento text. in leg. *fin. ff. de Pactis, & in leg. Si post mortem, §. fin. de contra. tab. & in leg. Si constante, versic. Exceptis, Cod. de Donat. ante nupt. & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Glos. ordinaria in *dict. leg. Assiduis, Cod. Qui potior. in pign. hab. in gloss. magn. & ibi Odofred. Jacob. Butr. Bart. qui dicit quòd ita tenet consuetudo, quæ est optima ll. interpres: Alb. Angel. Bald. & Salyc. Azor. in Summa illius titul. 2. column. num. 7. Gloss. ordinaria in §. Fuerat, Institut. de act. & ibi Din. fin. column. Angel. de Aretin. 8. colum. Jas. 13. column. num. 72. Glossa ordinaria in cap. Ex litteris, extrà de pign. & ibi Innoc. Hoff. Anton. Anchar. & Joan. de Imol. qui dicit hanc esse magis communem opinionem: istam etiam dicit magis communem opinionem Jas. in *dict. §. Fuerat: dicit etiam communem opinionem Socin. in leg. 1. ff. Solutio matrimon. final. column. &c. & ibi communiter Modern. dicit etiam magis communem opinionem Bald. Novell. in tract. Dotis, 10. part. 1. quæst. Anton. Neguz. in tract. de Pignor. in 4. membr. 2. part. num. 98. pro qua communi sententia est hodiè lex 33. titul. 13. part. 5. Limitat tamen hanc communem opinionem Bald. Novel. ubi supra, ut præferatur creditor in bonis, quæ habebat & possidebat debitor tempore hypothecæ contractæ: secus verò in quæsitis post hypothecam tacitam uxoris; quia in eis ipsa præferatur: Quòd tamen non est verum, tenendo communem.****

Subsequenter etiam quæro, si mulier habeat expressam hypothecam posteriorem pro dote in bonis mariti, an præferatur aliis creditoribus habentibus hypothecam expressam anteriorem? Et videtur quòd sic, argumento text. in sui generalitate, in leg. *Assiduis, Cod. Qui potior. in pign. hab. cum similib.* qua disponitur, quòd mulier in actione personali, & reali hypothecaria præferatur aliis prioribus creditoribus. Item etiam, quia taciti & expressi idem est iudicium, ut in leg. *Cum quid. ff. Si certum peratur, cum simil. ergo sicut mulier habens tacitam hypothecam præferatur aliis creditoribus habentibus tacitam hypothecam anteriorem, ita etiam habens hypothecam expressam posteriorem præferatur aliis creditoribus habentibus expressam anteriorem. Et in expressò ita tenet Angel. in *Authentic. de equalitate dotis. §. His consequens est,**

*est, in fin. column. 7. & sequitur & reputat singulare & quotidianum Aretin. in leg. 1. ff. Solutio matrimonio, antepenult. column. cum hodiè omnia instrumenta fiant cum hypotheca bonorum expressa: Bald. Novell. in tractat. Dotis, 10. part. 16. limitation. Sed, his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quòd creditores habentes expressam hypothecam anteriorem præferantur, ob rationes positas in superiori quæstione: & in expressò ita tenet Salyc. in *dict. leg. Assiduis, 2. column. & 1. quæst. Cod. Qui potior. in pign. hab. Socin. notabiliter in leg. 1. ff. Solutio matrimon. final. colum. & quæst. & ibi Jas. 2. lect. qui melius & latius disputat pro utraque parte quàm alius, & tandem residet in hac sententia & opinione: Rip. 2. col. Angel. de Aretin. in §. Fuerat de action. 8. col. Anton. Neguz. in tractat. de Pignor. 2. part. 4. membr. num. 100. & sentit apertè Bartol. in *dict. leg. 1. ff. Solutio matrimon. in primis verb. in figurazione casus, ubi dicit, quòd si duo instrumenta cum expressa hypotheca bonorum appareant eodem die confecta, instrumentum dotis præsumitur primum quoad effectum prælationis: ergo si aliud reperitur prius confectum, non esset dos præferenda; quia si semper hypotheca dotis esset præferenda, non esset aliqua necessitas talem effectum prioritatis instrumenti inducere.***

Unum tamen est, quòd si duo instrumenta reperiantur eodem die confecta, instrumentum dotis præsumitur prius: ut supra proximè dixi, & in expressò ita probat text. in leg. *In ambiguis. ff. de Jure dotium, cujus verba sunt: In ambiguis pro dotibus respondere melius est, per quem ita tenet ibi Bald. & alii DD. text. in leg. Ambiguis. ff. de Regulis juris, tenet etiam Bartol. in *dict. leg. 1. ff. Solutio matrimon. in casu position. Bald. Novell. in Pract. in 9. part. 1. privileg. & idem est in libertate, & alia qualibet pia causa, secundum Modernos in *dict. leg. 1. ff. Solutio matrimon. Ex quo etiam subinfertur, quòd si probationes sunt pares, præferatur probatio dotis: Item, si sententiæ plurium iudicum sint diversæ, præferatur illa quæ est pro dote vel pia causa, argumento prædictorum jurium, & argumento text. in leg. *Inter pares. ff. de Re judic. & tenet Fulgos. & alii in *dict. leg. In ambiguis de jure dotium, licet aliàs semper præferatur quæ est lata pro reo, ut est ibi casus. Item extende, etiam si alter possideat; quia etiam tunc præferatur causa dotis, vel pia: Licet secus sit inter privatos; quia tunc, si instrumenta sint confecta eodem die, præferatur qui possidet, argumento text. in *dict. leg. de Rebus de donat. ante nupt. & regul. in pari, de Re judic. ita tenet Bartol. in******

*leg. Quæ nondum. §. Quod dicitur de pign. Rip. in *dict. leg. 1. Solutio matrimon. column. 3. n. 6. Secundò limita, nisi instrumentum unius contineat horam, & aliud non; quia præferatur illud quod habet horam, quia ejus probatio est magis certa, & non debet offuscari per incertam: ita Bald. Salycet. & alii DD. in *dict. leg. de Rebus, & Modern. & in *dict. leg. 1. Solutio matrimon. 3. column. num. 7. Tertio limita, quando prædicta instrumenta essent confecta à diversis notariis: secus si ab eodem; quia tunc ex scriptura originali Protocolli poterit constare de prioritare vel posterioritate; quia in dubio illud quod prius in ordine reperitur scriptum præsumitur prius factum, argumento text. in *const. Cod. §. Quibus, & ita Bald. & alii DD. Moderni in *dict. leg. 1. Solutio matrimon. tenet etiam Bald. Novell. in tract. Dotis, 9. part. principali, 2. privil. quem vide.******

Item quæro, an mulier habeat tacitam hypothecam & jus prælationis pro bonis paraphernalibus? Et breviter & resolutivè dico quòd habet tacitam hypothecam: text. est in leg. *fin. §. Sin autem, Cod. de Pactis conventis, & ibi notat Bart. Bald. Cin. Alb. communiter DD. & melius quàm aliis Salyc. in §. fin. ejusdem leg. num. 2. Innocent. in cap. Ex litteris, extrà, de pign. & ibi Abb. penult. column. num. 10. Imol. 4. column. num. 19. Azor. in Summa, Cod. In quibus causis. pignus vel hypotheca: tacite contrahitur. Joan. de Plat. in §. Fuerat, Inst. de action. 4. column. & ibi Jas. 9. column. num. 41. idem Jas. in leg. *Maritus, Cod. de Proc. in fin. Anton. Neguz. in tract. de Pign. 4. membr. 2. part. n. 63. facit etiam text. in leg. Ubi adhuc, Cod. de jure dotium, juncta Gloss. in verb. Suppositas, & ibi communiter DD. non tamen habet jus prælationis, ut præferatur mulier aliis creditoribus habentibus hypothecas anteriores; quia illud solum habet locum in dote, favore matrimonii, non verò in aliis bonis: ita probat text. in *dict. leg. fin. Cod. de Pact. convent. qui tamen concedit beneficium tacitæ hypothecæ & non aliud: & in expressò ita tenet Gloss. singularis in leg. Si ego. §. Dotis. ff. de Jure dotium, & ibi ad hoc notat & commendat Salyc. illam etiam Gloss. ad hoc reputat singularem Jas. in leg. *Maritus, Cod. de Procur. fin. column. tenet etiam Innocent. in *dict. cap. Ex litteris, extrà, de pign. & ibi Abb. & Joan. de Imol. Salycet. in *dict. leg. Ubi adhuc, Cod. de Jure dotium, fin. column. 10. quæst. idem Salyc. in d. leg. Assiduis, vers. fin. Cod. qui potior. in pign. hab. Anton. Neguz. in tract. de Pignor. 4. membr. 2. part. numer. 63. & idem probat l. 17. titul. 11. part. 4. quam sic intellige. Intellige tamen prædicta in bonis paraphernalibus quo-******

quorum administratio est concessa marito: secus autem quando mulier habet & retinet sibi prædicta bona, & maritus non habet administrationem eorum; quia pro eis mulier non habet tacitam hypothecam, nec jus prælationis: ita notabiliter tenet Abb. in cap. Ex litteris, penult. column. num. 10. & sic debet intelligi Glos. ibi.

41 Item quæro, an tacita hypotheca & jus prælationis competat mulieri pro donatione ante nuptias, vel propter nuptias? Et breviter & resolutivè dico quòd tacita hypotheca bene competit, non tamen competit jus prælationis: cuius ratio est; quia in dote mulier tractat de damno evitando, in istis verò donationibus tractat de lucro captando: ita probat text. in leg. Ubi adhuc, Cod. de Jure dotium, & ibi tenet & declarat. Cin. 1. col. & 3. opposit. text. in leg. Si constante. §. Jura etiam, C. de donat. ante nuptias, & ibi DD. text. notabilis & expressus in leg. Assiduis, Cod. Qui potior. in pign. hab. cujus verba sunt: *Hec autem tantum ad dotem sancimus, non ad ante nuptias donationem, quam suo tempore servare disponimus, & habere inter creditores sui temporis ordinem, non enim pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus, & ibi tenet & declarat Gloss. ordinaria in verb. Suo tempore.* Odofred. Cin. Alb. Bald. Salycet. & communiter DD. Abb. in cap. Ex litteris de pignor. fin. column. & ibi communiter Canonist. Paul. de Castr. in leg. 2. ff. de Solut. matrimon. fin. column. versic. *Sed an donatio propter nuptias.* Ex quibus infero primò, quòd hodiè in nostro regno pro arrhis erunt bona mariti tacite obligata, non tamen habebit mulier jus prælationis. Secundò infero, quòd pro vestibus & donis datis per sponsum sponsæ, justa leg. 53. in istis legibus Taur. erunt bona mariti obligata, si fortè maritus ea alienavit; non tamen habebit mulier jus prælationis. Tertio infero, quòd pro medietate lucrorum quæ pertinent uxori, erunt bona mariti tacite obligata, si fortè maritus ea alienavit mortua uxore, vel ea vivente in casu prohibito; non tamen competit jus prælationis. Quæ omnia nota, quia sunt singularia & quotidiana. (r)

42 Si verò dos consistit in specie, quia uxor vel alter pro ea dedit aliquas certas res mobiles vel immobiles in dotem marito; tunc, si simpliciter sint datæ inæstimatæ, nulla earum æstimatione facta, licet constante matrimonio res efficiantur mariti, tamen soluto matrimonium dominium ipso jure revertitur ad uxorem, &

potest à marito, vel quolibet possessore vindicare, & præferatur omnibus aliis creditoribus etiam habentibus anteriores hypothecas expressas: text. est capitalis & expressus in leg. In rebus, Cod. de Jure dotium, cujus verba sunt: *In rebus dotalibus, sive mobilibus, sive immobilibus, seu se moventibus, si tamen extant, sive æstimata, sive inæstimata sint, mulierem in his vendicandis omnem habere post dissolutum matrimonium prærogativam, & neminem creditorum mariti qui anteriores sunt, posse sibi potiore causam in his per hypothecam vindicare, cum & eadem res ab initio uxoris fuerant & naturaliter in ejus permanserunt dominio: & id ad hoc nunc notat & commendat Gloss. ordinaria, Odofred. Petr. Cin. Jacob. Butr. Alber. Bald. Ang. Salyc. Fab. & communiter DD.* Cujus ratio est; quia vindicans propriam rem non indiget privilegio, nec excluditur ab aliquo creditore; cum suum repetat: text. est notabilis in Authentico, ut ex actione instantis dotis. §. His igitur, column. 7. ibi dum dicit: *parè unumquemque quod suum est habere nullo privilegio indigens: text. in leg. Si ventri. §. In bonis. ff. de Privilegiis creditor. per quem dicit Bald. in dict. leg. In rebus, Cod. eod.* quòd omnis qui præterdit dominium actu permanens, est potior quolibet alio creditore.

Ex quo text. in dict. leg. In rebus, noviter & singulariter inferas, quòd licet in acquirendo dominio requiratur traditio, vel apprehensio possessionis vel detentionis, ut in leg. Traditionibus, Cod. de Pactis, cum similib. etiamsi concurrat titulus universalis dotis, vel alterius contractus, ut in leg. 1. juncta ibi Gloss. singulari & unica in leg. 1. ff. de Usucapion. pro dote, & in leg. Qui tibi, Cod. de Hered. vel action. vend. tamen illud est verum & procedit quando agitur & tractatur de acquirendo dominio de novo; secus verò de recuperando & restaurando primo dominio antiquo semel amisso: quia de facili res revertitur ad naturam suam: argumento text. in leg. Si unus. §. Pactus ne peteret, versicul. *Quod & in specie. ff. de Pactis, ibi: Incipiet dos redire ad jus suum, text. in leg. Juris gentium, §. Aded, eodem titul. text. in leg. Naturalem. ff. de Acquirendo rerum domin. text. in leg. Pompon. eod. titul. text. in §. Fere, versic. Naturalem, Inst. de rerum divis. text. in leg. Prout quisque. ff. de Solut. text. in leg. Ab empt. ff. de Pactis: text. in leg. 1. & 2. Cod. Quando licet ab empt. disced.*

Ex quo primò infero, quòd si dominus ma-

(r) De hac quæst. agit latè Fanno de p. 2. part. 4. membr. num. 63. cu. tribus s. & Covar. in 4. part. 2. cap. 3. §. 7. num. fin.

numittit servum, statim, competit sibi libertas sine aliqua traditione vel solemnitate: text. est in leg. Manumissiones. ff. de just. & jur. text. in leg. 4. ff. de Statu homin. text. in leg. 1. & per totum, ff. de Manumission. text. in leg. 1. & per totum, Cod. de Ingeniis & manumiss. Secundò infero, quòd licet animal captum ab aliquo per apprehensionem, fiat occupantis, ut in leg. 1. ff. de Acquirend. possess. tamen si effugiat à domino, taliter quòd recuperet pristinam naturalem libertatem, amittitur dominium ejus, & animal efficitur liberum: text. est in leg. Naturalem. ff. de Acquirendo rer. domin. text. in §. Fere, vers. Naturalem, Inst. de rerum divis. Tertio infero, quòd ex ista causa & ratione, ex pacto legis commissoriæ retrò transfertur dominium in primum dominum alienantem: text. est in leg. 1. & per totum. ff. de leg. Commissoria. text. in leg. Commissoria, Cod. de Pactis inter empt. & vend. Quarto infero, quòd ideo per absentiam perditur possessio naturalis: text. est in leg. Clam possidere. §. Qui ad mundinas. ff. de Acquirend. posses. Quintò infero, quòd ideo, finito usufructu, ipso jure revertitur & consolidatur cum sua proprietate: text. est in leg. 1. & per totum. ff. Quibus mod. usufruct. amitt. text. in §. Ambiguitatem, & in leg. Corruptionem. Cod. de Usufruct. text. in §. Finitur, Inst. de Usufruct. cum similib. Sextò infero, quòd ideo dominus qui habet rem pro derelicta, statim amittit dominium sine apprehensione vel occupatione alterius; quia ante de primævo jure naturali in nullius bonis erat. Unum tamen est: quòd privilegium & dispositio text. in dict. leg. In rebus, Cod. de Jure dotium, non habet locum in hæredibus mulieris; quia in eos non transit dominium rerum dotalium soluto matrimonio per mortem uxoris: ita Bart. in leg. Nesennius. §. Si fundum. ff. de Re jud. & ibi communiter DD. Quod intellige in extraneis: secus in filiis ejusdem matrimonii; quia bene transit ad eos: ita singulariter Bald. Novell. in tract. Dot. 8. part. princip. 6. privileg.

Et adde, quòd tali casu periculum vel commodum in prædicta dote inæstimata contingens absque culpa mariti pertinet uxori. Ex quo inferitur, quòd si vestes, vel aliqua animalia dentur in dotem, & reperiuntur consumpta tempore matrimonii dissoluti, non debetur aliqua æstimatio uxori: text. est in leg. Plerumque. ff. de Jure dot. cujus verba sunt: *Plerumque interest viri res non esse æstimatas, idcirco quòd nec periculum rerum ad eum pertineat, maxime si animalia in dotem acceperit, vel vestem qua mulier utitur: eveniet enim si æstimata sit, & eam mulier attrivit, ut nihilominus maritus æstimationem præstet: quovis igitur non æstimata res in dotem*

dantur, & meliores & deteriores sunt mulieri, si prædiis inæstimatis aliquid accessit, hoc ad commpendium mulieris pertinet: si aliquid decessit, mulieris damnum est.

43 Dubium tamen est; si soluto matrimonio non possit contare, an prædictæ res mobiles vel se moventes sint consumptæ vel peremptæ absque culpa mariti; an maritus teneatur valorem & æstimationem solvere, si non probet ex usu, vel casu fortuito, vel aliàs absque sua culpa consumptas & peremptas? Et resolutivè teneo quòd sic, quia maritus censetur custos vel procurator uxoris & rerum dotalium, argumento text. in leg. Si quis domum. §. Imperator. ff. Locati, text. in leg. Si quis ex argentariis. §. Prohibet. ff. de Edendo text. in leg. fin. §. final. ff. de Custod. reor. & argumento Gloss. singularis & ordinariæ, & eorum quæ ibi notant DD. in leg. Cum ita legatur. §. Species ff. de legat. 2. & ita dixi & consului in quæstione de facto. Unum tamen est: quòd, peremptis ovibus vel animalibus, debent suppleri ex fructibus & effectibus eorum, licet fructus rerum dotalium pertineant marito: text. est in dict. leg. Plerumque, versic. Sic tamen, cujus verba sunt: *sic tamen ut suppleri proprietatem prius oporteat, & summissis aliquibus in locum de mortuorum capitum ex jam natis residuum in fructibus maritus habeat: quia fructus dotis ad eum pertinent: pro quibus omnibus est hodiè notum leg. part. 1. 21. titul. 11. 4. part.*

Limita tamen & intellige prædicta, quando res mobiles, vel immobiles, vel se moventes, quæ dantur in dotem inæstimatæ consistant in specie: secus tamen est si consistant in genere, quòd pondere, numero vel mensura constat, ut triticum, vinum, oleum & similia; quia licet dentur inæstimatæ, periculum & commodum est mariti, & pereunt & consumuntur periculo ejus, & in his tacite videtur actum ut maritus ditrahatur, vendat & consumat, & tantumdem in suo genere reddat, sicut dicimus in mutuo. Ex quo inferitur, quòd, soluto matrimonio, maritus tenetur solvere tantumdem in genere, vel ejus valorem & æstimationem, attentò valore & æstimatione tempore, quo dissolvitur matrimonium, non verò tempore contracti matrimonii & dotis recaptæ: text. est singularis & expressus in leg. Res in dotem data. ff. de Jure dotium, cujus verba sunt: *Res in dotem data, quæ pondere, numero, mensurave constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur ut eas maritus ad arbitrium suum ditrahatur, & quandoque soluto matrimonio ejusdem generis & qualitatis alias restituatur, vel ipse, vel hæres ejus: & ad hoc notat & commendat ibi Gloss. ordinaria, Odofred. Bart.*

Salyc. Bald. & communiter DD. & ita tenet & declarat Paul. de Castr. in leg. *Æstimata*. ff. *Solutio matrimonii*. in finalibus verbis, & idem disponit lex 2. i. titulus 11. part. 4. (s)

44

Si verò dos consistit in re vel specie æstimata tali æstimatione quæ facit emptionem, quia uxor vel alter pro ea dedit marito aliquas res mobiles vel immobiles æstimatas; tunc dominium talium rerum perpetuò transit in maritum, & similiter periculum & commodum earum; & soluto matrimonio, tantum tenetur ad pretium conventum & æstimatum, & commodum vel damnum in eis contingens ad solum maritum spectat, & remanet debitor quantitatis, ac si verè & realiter prædictas res emisset. Ex quo deducitur & inferitur, quòd licet res extet non deteriorata, sed in eadem bonitate & qualitate, non potest maritus eam reddere & solvere uxori, ea invita: text. est capitalis & expressus in leg. *Æstimata*. ff. *Solutio matrimonii*. cujus verba sunt: *Æstimata res usu etiam mulieris periculo mariti deteriores efficiuntur*: text. in leg. *Si æstimatis*, eodem titulo. & ibi Gloss. ordinaria, Bart. Bald. Alb. Angel. Paul. Imol. Roman. Cuman. Alex. & Sing. de Homob. in *Repet.* text. in leg. *Cum post*, §. *In dotem*. ff. *de Jure dotium*. text. in leg. *Mortis sua causa*. §. *Res in dotem*. ff. *de Donat. inter vir. & uxorem*. text. in leg. *Quoties*, Cod. *de Jur. dot.* cujus verba sunt: *Quoties, res æstimata in dotem datur, maritus dominium consequutus, summa veluti pretii debitor efficitur*, & ibi Glos. ordinaria, Odofred. Petr. Cin. Jacob. Butr. Bart. Alber. Bald. Angel. Salyc. Faber. & comm. DD. text. in leg. *Cum dotem eodem titulo*. & idem disponit lex 18. 19. & 20. titulus 11. part. 4. Item etiam deducitur & inferitur, quòd si maritus legaverit uxori simpliciter in testamento hanc rem vel speciem æstimatam, quod debetur uxori ipsa res actione ex testamento, tanquam propria mariti, & etiam pretium & æstimatione ejus actione de dote; neque una tollit aliam, nec videtur relicta animo compensandi: ita probat text. in leg. *Licinius Locusta*. ff. *de Legat. 2.* & ibi tenet Gloss. ordinaria, Bart. Bald. & communiter DD. & reputat esse singulare Paul. de Castr. & Joan. de Imol. tenent etiam Bart. & alii DD. in leg. 2. §. *fin.* ff. *de dote præl.* Ex quibus inferitur, quòd si res data in dotem æstimetur hoc proposito & respectu, ut sciatur & cognoscatur valor rei; & postea tempore soluti matrimonii

absque culpa mariti reperiatur res in eadem substantia, bonitate, & qualitate intrinseca, sed est deteriorata in pretio & valore, cursu & varietate temporis & regionis; tale damnum & periculum pertinet uxori, non marito: unde, non potest petere pretium antea taxatum & æstimatum, sed debet esse contenta illa re dotali, & maritus remanet liberatus à solutione pretii; & eodem modo, si res crescat in pretio & valore, commodum & utilitas pertinet uxori, & potest petere rem, & non teneatur esse contenta cum pretio: & in expresso ita tenet & declarat Cin. Salyc. Fab. & alii DD. in leg. *Si inter virum*, Cod. *de Jure dot.* tenet etiam Paul. de Castr. & alii DD. in dict. leg. *Æstimatis*. ff. *Solutio matrimonii*.

Quod tamen intellige, quando prædicta res dantur æstimata tali æstimatione, quæ facit emptionem: secus verò si æstimatio fiat tantum eo respectu, ut sciatur & probetur valor rei, ut si forte postea soluto matrimonio res appareat consumpta vel deteriorata culpa mariti; nam dominium non transit in maritum, nec periculum & commodum earum, sed totum pertinet uxori, ac si prædicta res non essent æstimata: ita probant prædicta jura, & tenent DD. ubi supra, & tenet & declarat notanter Bald. & communiter DD. in leg. *Ex conventionione*, Cod. *de Pactis*, in dubio tamen præsumitur facta talis æstimatione quæ facit emptionem, ut tenet Glos. singularis & ordinaria in dict. leg. *Si inter virum*, Cod. *de Jure dotium*, & ibi DD. & tenet Bald. & DD. in dict. leg. *Ex conventionione*. Unum tamen est, quòd si æstimatio fiat majori vel viiori pretio quam res valeat, & maritus sit læsus, quia carius fuit res æstimata, vel uxor sit læsa, quia vilius fuit æstimata; dato quòd talis læsio non excedat dimidiam justi pretii, debet fieri restitutio & suppletio justi pretii: text. est in leg. *Jure succursum est*, §. *fin.* ff. *de Jure dotium*, cujus verba sunt: *Si in dote danda circumventus sit alteruter, etiam majori annis viginti quinque succurrendum est: quia bono & equo non convenit aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire pro alterius lucro*: text. in leg. *Si res*. §. *Si mulier*, versic. *Enim verò eodem titulo*. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. & idem disponit lex notabilis part. leg. 16. titulus 11. part. 4. (t)

Quod tamen intellige, quando maritus est solvendo: secus verò aliàs, si non est solven-

(s) De hac quæstione, vide Palac. Rub. in *Repet.* cap. *Per vestras*, §. *ultim. num.* 11. in *fin.* Montalv. in leg. 1. verb. *Pro medio*, titulus *de las Ganancias*, lib. 3. *Fori*, Matienza. in leg. 3. tit. 9. lib. 5. glos. 7. num. 6.

(t) Et hanc opinionem magis probat Pinell. in leg. 2. part. 1. cap. 1. à n. 12. Cod. *de Rescindenda vend.*

dò; quia tunc, etiam si res data in dotem sint æstimata tali æstimatione quæ facit emptionem, dominium transfertur in uxorem soluto matrimonio, & potest vindicare tanquam proprias, & præfertur in eis cunctis creditoribus etiam anterioribus, ac si nulla æstimatio intervenisset: ita probat text. singularis in leg. *Rebus*, Cod. *de Jure dot.* ibi: *Sive, æstimata, sive inæstimata sint*: & ibi tenet Gloss. ordinaria in gloss. 1. in *fin.* & communiter DD. & illam Glossam ad hoc reputat singularem Jas. in leg. 1. ff. *de æstimatoria actione*. 2. column. illam etiam reputat singularem Palac. Rub. in *sua Repet.* fol. 69. col. 4. n. 4. tenet etiam Bald. licet non alleget illam Glossam in leg. *Interest*, Cod. *de Usufructu*. Philipp. Decius, & Moderni in leg. *Ex conventionione*, Cod. *de Pactis*, sed ultra eos ego addo similem & expressam Glossam in leg. *Etiam*. ff. *de Fundo dotal.*

Et ex superioribus se offert pulchrum & quotidianum dubium: si uxor habeat bona mobilia paraphernalia, quæ mittit & adducit secum in domum mariti, & in promiscuo usu eorum sunt consumpta vel deteriorata; an soluto matrimonio teneatur valorem & æstimationem solvere? Et videtur quòd non, argumento supra dictorum: quia si bona dotalia inæstimata non tenetur solvere; ergo nec ista. Sed pro perfecta doctrina & resolutione facio tres principales conclusiones. Prima conclusio: Si talia bona mobilia paraphernalia sunt consumpta de voluntate expressa vel tacita ipsius uxoris, quia, ea vidente, tacente, & consentiente, sunt consumpta, non tenetur maritus vel hæres ejus solvere valorem & æstimationem eorum: ita probat text. singularis in jure, in leg. *de His*, Cod. *de Donation. inter virum & uxorem*, cujus verba sunt: *De his quæ extra dotem in domum illata marito erogata commemoras, si quidem te donante consumpta sunt, intelligas adversus hæredes non nisi in quantum locupletior fuit habere te actionem*: Si verò contra voluntatem tuam, omnia tibi restitui oportere, & ibi expressè tenet solus Bald. qui ponit ista verba: *nota quòd Arrodius quod portat uxor in domum mariti, quatenus est consumptum in maritum, eo mortuo non repetit uxor: sed quatenus res extant, uxor potest eas deferre quòd vult, quia sunt sua*. Angel. in leg. *Ubi adhuc*, Cod. *de Jure dotium*, fin. column. n. 4. Alexand. in leg. *Æstimata*. ff. *Solutio matrimonii*. Confirmatur & primò; quia bona paraphernalia æquiparantur dote, & gaudent in aliquo privilegio ejus, ut in leg. *fin.* §. *Si autem*, Cod. *de Pactis conventis*, & in leg. *Ubi adhuc*, Cod. *de Jure dotium*, & ibi communiter DD. sed bona dotalia inæstimata pereunt periculo uxoris, & soluto matrimonio non tenetur maritus solvere eorum valorem vel

Anton. Gomez. ad Legem Tauri.

æstimationem, ut in leg. *Plerumque*. ff. *de Jure dotium*, & ibi communiter DD. cum simil. ergo idem sit in bonis paraphernalibus. Secundò confirmatur, quia debitor, specie perempta absque sui culpa, liberatur, ut in leg. *Quo te mihi*. ff. *Si certum petat*. & in leg. *Si ex legari causa de verb. obligat.* ergo licet in nostro casu maritus sit debitor rerum paraphernalium, earum interitu & consumptione debet remanere liberatus.

Secundà conclusio: Si maritus ex usu & consumptione rerum paraphernalium sit factus locupletior, tenetur restituere catenus quatenus est factus locupletior: ita etiam probat text. in dict. leg. *His*, ibi: *Nisi in quantum locupletior fuit*. Ex quo infero, quòd si maritus egebat aliquibus rebus mobilibus pro usu domus suæ & familiæ, quas desinit emere, quia habuit & consumpsit prædictas res uxoris paraphernalium, tenebitur valorem & æstimationem earum restituere, quia est factus locupletior: & confirmatur ex traditis & notatis per DD. in leg. *Si virrico*, Cod. *de Neg. gest.* Et adde, quòd hoc non haberet locum in rebus dotalibus inæstimatis: quia licet sint consumptæ in usu & servitio mariti, nihil debetur uxori; quia in eis fructus pertinebant marito: unde, hoc casu melioris conditionis sunt bona paraphernalia quam dotalia: & in expresso ita probat text. in dict. leg. *Plerumque*. ff. *de Jure dot.* & ibi Gloss. ordinaria & communis opinio Doctorum.

Tertia conclusio: Si ignorante uxore & non consentiente tacite nec expressè maritus consumpsit in domo & usu ejus familiæ tales res mobiles paraphernales, tenetur solvere valorem & æstimationem earum; quia nulla videtur facta donatio: ita etiam probat text. in dict. leg. *de His in fin.* ibi: *Si verò contra voluntatem tuam, omnia tibi restitui oportere*. Quod tene perpetuò menti, quia alibi non invenies istum articulum ita in jure declaratum.

Item quæro, an & quando istud jus hypothecæ, prælationis, vel aliud jus competens mulieri, transeat ad hæredes? Et breviter & resolutivè dico, quòd jus & privilegium tacite & fictæ stipulationis transit ad hæredes tam filios quam extraneos: quia datur & conceditur ipsi contractui & dote; unde, transit ad eos ad quos transit ipsa dos: argumento text. in leg. 1. versic. 1. Cod. *de Rei uxore. actione*. ibi: *Sancimus omnes dotes per ex stipulatu actionem exigi, sive scripta fuerit stipulatio sive non, ut intelligatur re ipsa stipulatio esse subsecuta*, text. in §. *Maneat*, ejusdem leg. cujus verba sunt: *Maneat ex stipulatu actionis jus ad successores, & sine mora transmissionis in corruptum*, & ibi Glos. ordinaria, & communiter DD. & tenet Bart. in leg. 1. ff.

Ecc

801